



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

Quæstio XIII. In Tit. XIII. De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ,
vel sponsæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

- ac ejus uxorem, etiam sublatâ adoptione, idem quoad hunc juris effectum dicendum erit de jure canonico.
1135. Ad 3. in n. 1129. R. verum esse, quod adoptio sit facti; effectum tamen, quem ei tribuit jus civile, non esse facti, sed juris. sic, quod sponsalia de futuro celebrata sint inter Cajum, & Titium, est quidem facti; quod autem exinde nascatur impedimentum publicæ honestatis, est quid juris, & ita quidem, ut ejusdem juris dispositione fieri possit, quod cesset hic juris effectus, esto fieri non possit, quod non præcesserit factum, vel tantum sit ad certum gradum, esto prius porrexerit se in amplius; ita dicendum erit in præsentem.
1136. Ad 4. in n. 1130. R. nego consequentiam; ratio est ex n. priori. Nam pro-

pinquitas legalis (quam fraternitatem legalem diximus) non ex natura rei, sed solius humani dispositione parit effectum, qui est ne frater adoptivus sit maritus sororis; & si adoptivus sit maritus femine, que fuit uxor adoptantis; vel ne adoptivus sit maritus uxoris adoptati, est juris dispositione adoptionis effectus etiam adoptione sublata per emancipationem, ex ratione datâ in præmissis. Nam inter collaterales, non autem in linea recta, cessat dispositione juris ratio publicæ honestatis adoptione sublata ex d.

Ergo. Institut. de Nupt.



QUÆSTIO XIII.

In Tit. XIII. De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ.

HOc titulo agitur de crimine incestus, ex quo nascitur impedimentum impediens; & ratione affinitatis inde confurgentis, etiam dirimens matrimonium. Incestum definit Pereyra in *Elucid. n. 905. Coitum cum consanguinea; & n. 1509. copulam cum propinqua.*

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit incestus?

1137. Incestus propriè est carnalis copula inter consanguineos, vel affines in gradu prohibito. Et ideo carnalis copula, eaque perfecta inter propinquos propinquitatem solùm spirituali, vel legali, aut ex sponsalibus orta, non est propriè incestus; nec etiam circumstantia necessariò explicanda in supplicatione pro matrimonij dispensatione obtinenda, si oratores aliam causam habeant, quam justè allegare possint pro ea impetranda; ita Sanchez l. 8. hic d. 25. n. 9. Bonacin. de Legib. d. 1. q. 2. p. 5. n. 12. & alij. Ex quo colliges. 1. incestum esse duplicem, nimirum alium esse propriè, alium impropiè talem. Et ideo ex copula solùm imperfecta non nascitur incestus propriè dictus. Quare si copula non fiat per veram seminis virilis intra naturale vas mulieris effusionem, incestus solùm impropiè est; ita Sanchez

tit. n. 10. Bonac. n. 11. & alij; nec in penalibus venit nomine incestus, cum hæc restringenda sint.

Advertendum autem; copulam, etiam perfectam, cum consanguinea, vel affinis, sine noticia consanguinitatis, vel affinitatis, esse incestum solùm materialiter; ut colligitur ex c. 1. h. t. adeoque nec venire nomine incestus in penalibus; nec in supplicatione pro matrimonij dispensatione necessariò exponendam; sic Gutierrez de matr. c. 77. n. 11. Hoc probabiliter extendit Sanchez l. 8. d. 25. n. 10. ad casum, modò unus eorum ignorat circumstantiam consanguinitatis, vel affinitatis; quia in penalibus, & odiosis incestus sumi debet strictè, nimirum pro copula scienter à consanguineis, vel affinis habita, prout dicitur n. seq.

Contrarium sentit Vincentius de Juris; l. 1. dispens. matrim. c. 4. n. 254. si aliunde in supplicatione incestus explicandus sit. Nam supposito, quod incestus expressio necessaria sit, debet consequenter cum suis circumstantijs exprimi. Verum, esto in aliquo casu foret obligatio exprimi incestum, nullâ tamen lege ostenditur incestum factum ab uno cum ignorantia consanguinitatis, vel affinitatis, in penalibus, & odiosis venire sub nomine incestus.

incestus. Nec obstat contraria quorundam Curialium opinio; nam ad hoc patet ex infra dicendis. Si verò copula habita sit cum consanguinea, vel affine post dispensationem à Pontifice, vel ejus delegato jam factam, licet nondum contracto matrimonio, non est *incestuosa*, ex n. 1137. quia non est copula in gradu *prohibito*. Nā prohibitio, facta jam dispensatione, sublata est; sic Corradus *cit. l. 8. c. 1. à n. 43.*

ARTICULUS II.

An. & quale impedimentum conjugii præstat incestus cum Consanguineo alterius?

1140. *Be.* Incestum propriè dictum, à viro cum consanguinea suæ uxoris, vel ab uxore cum consanguineo viri, præstat incestuosis impedimentum *impediens* matrimonium etiam mortuo conjugè, cum aliis. Constat ex *q. h. t.* ubi de viro, qui carnaliter cognovit filiam suam (hoc est privignam suam, seu suæ uxoris filiam ex alio viro susceptam) dicitur: *nec filiastra, nec ille (qui fornicatus fuit) ullo unquam tempore, poterunt (post mortem uxoris) cum alia matrimonium contrahere.* Ex quo deducitur hoc impedimentum *impediens*, de jure esse *perpetuum*; ut colligitur ex illis verbis: *ullo unquam tempore.* 2. Intelligi de incestu *formali*, & *propriè* dicto. Nam hoc impedimentum est *penale*, cum statuitur in penam delicti; & colligitur ex *c. in lectum. 36. q. 2. & c. si quis 8. eod. c. & q.* ubi expressè requiritur *scientia in utroque*; & *c. 1. h. t. ibi:* cum filiastra sua scienter fornicatus. Nec præstat tantum viro, sed etiam uxori, committenti incestum cum consanguineis sui conjugis. Ratio enim statuendi hoc impedimentum fuit *incestus*, æquè in uxoribus, ac in viris frequens cum consanguineis alterius conjugis; & ideo etiam in *c. si quis viduam 32. q. 7.* expressè fit mentio *de muliere*, ibi: *si qua cum duobus fratribus, seu cum patre, & filio:* idem habetur in *c. si quis cum matre. 34. q. 2. ibi:* si autem hoc fecerint ipse *femine, absque maritis perpetuo maneat.*

1141. Not. autem idem impedimentum præstari affinibus, cum quibus vir aut uxor incestum committit. Hinc privigna, quæ cum vitrico suo, vel privignus, qui cum novercâ suâ incestum committit, eo ipso

contrahit impedimentum *impediens* matrimonium cum quibuscunque alijs: constat ex *c. 1. h. t. ibi:* *nec filiastra, nec ille ullo unquam tempore poterunt cum alio matrimonium contrahere.* Unde si Titius, postquam fornicariè cognovit Bertam, incestum committat cum affine sua in primo vel secundo gradu, ambo incestuosi contrahunt impedimentum perpetuò *impediens* matrimonium cum alijs. Ratio est ex dictis, præsertim *c. si quis cum matr. 35. q. 2.* in n. priori. Hinc ex incestu cum consanguinea uxoris, etiam superveniente matrimonio jam contracto, nascitur *affinitas* inter virum, & uxorem; quæ tamen matrimonium prius contractum non dirimit, sed tantum incestuoso adimit jus exigendi debitum ab innocente: prima pars est ex *c. d. secretionem. 6. h. t. ibi:* *sed nec affinitas, quæ post contractum legitime matrimonium inter virum, & uxorem iniquè contrahitur &c.* secunda ex *c. 1. eod. ibi:* *nec à matre debitum petere potest*, loquitur de viro, qui cum sua privigna incestum committit.

1142. Et si autem matrimonium ab incestuosis, non obstante impedimento solum impediens in initium, illicitum sit; est tamen validum; prima pars est, quia sic impeditis jure prohibitus est matrimonium: secunda pars est ex *c. Transmissæ 4. h. t. ubi vir*, qui post mortem uxoris, carnaliter cognitâ suâ privignâ, contracto deinde cum alia matrimonio, *jabetur huic, tanquam uxori legitime, cum requisitus fuerit, debitum reddere*; adeoque ex incestu cum privigna, matrimonium postea illicitè cum aliâ contractum, agnitum est tanquam validum; aliàs enim mulieri huic petenti debitum, reddere posse non diceretur. Ex quo sequitur ex incestu cum consanguinea uxoris commisso, etiam post mortem uxoris, hoc impedimentum tantum *impediens* nasci. Nam in *cit. c. Transmissæ*, expressè punitur G. privatione juris exigendi debitum ab uxore postea ducta, quia uxore suâ priori defunctâ filiam ejus, seu privignam propriam, copulâ carnali cognovit. Hinc incestuosus conjunx non obstante, quòd ab innocente non possit licitè debitum exigere (nisi ab hoc requisitus) nihilominus legitime uxori cohabitare, & necessaria subministrare tenetur. *c. Transmissæ 4. h. t.*

Colligitur demum etiam ex copulâ fornicariâ nasci affinitatem, quæ dirimit matrimonium contrahendum, aut eâ stante contractum. *c. Ex literis 8. h. t.* ubi habetur casus, quod vir matrem puellæ, quam intra annos nubiles desponsaverat in uxorem, sæpe cognoverit, & postea carnali commixtione puellam tractaverit adultam; ad quem respondit Pontifex: *quod eis ab invicem separatis, mulier alteri viro non nubat, si postquam novit viri & matris delictum, ei non erubuit commiseri*: vir etiam & mater mulieris nunquam debent ad alias nuptias convolare, sed semper continentiam servare tenentur, & enorme deslere delictum, quod pro nefanda libidine contraxerunt; præsertim si circa personas hujusmodi de lapsu carnis minime timeatur. Idem habetur in *c. Veniens. 9. h. t.* quod intellige, si antecedit matrimonium; si enim subsequatur, de illa constat ex dictis.

ARTICULUS III.

An, & quale impedimentum Viro præstet incestus cum consanguineâ suâ sponse.

Sermo est de incestu cum consanguinea sponse de futuro. *qz.* quod præstet impedimentum dirimens non tantum sponsalibus de futuro celebratis, sed etiam de præsentibus celebrandis cum sponse. Nam copula carnalis, etiam fornicaria tantum (intellige, perfecta, & consummata) inducit affinitatem inter virum & consanguineos mulieris ab ipso carnaliter cognita; ut constat ex *c. Veniens 2. h. t.* affinitas autem superveniens sponsalibus de futuro ea solvit, ex dictis à n. 321. & dirimit sponsalia de præsentibus contrahenda, ut dicemus infra; id, quod habetur expressè in *c. Ex literis. 8. h. t.* ubi apertè dicitur, quod sponsalia, prius contracta, secuta copulâ illicitâ inter sponsum, & sponse matrem, quantumvis deinde sponsum, & sponse matrimonium contraxerint, separari debeant, solutis non modò sponsalibus de futuro, sed etiam de præsentibus, propter affinitatem contractam ex copula cum sponse matre, ut colligitur tum ex Rubrica, tum ex ipso contextu.

Similiter E. Laicus, qui post sponsalia celebrata cum puella, carnaliterque deinde cognita hujus sorore, nihilominus

cum prima nuptiis initis utramque oportunitate datâ cognoscebat, ab utraque abstinere debuit, ut dicitur in *c. Veniens 9. h. t. à prima*, propter affinitatem contractam ex illicita copula cum ejus sorore; à secunda, propter impedimentum justitiæ publicæ ex sponsalibus cum prima.

Sed principalis hic quæstio est, an concubitus sponsi cum consanguinea sponse de futuro, inducat impedimentum, vi cuius tam sponso, quam mulieri prædictæ a sponso carnaliter cognita, interdictum sit matrimonium cum aliis; nam ad hanc quæstionem præcipue tendit titulus initio articuli præfixus. Negativam sequitur Angelus *V. Incestus, n. 5.* quia talis concubitus non est proprie incestus, ut ipsi dicimus n. 1137. hoc autem impedimentum oritur solum ex incestu proprie tali, quia peccabile est: sed affirmativa probabilior est. Nam in *c. 2. h. t.* dicitur quod, *si sponsus suæ sponse matrem cognoverit, nondum cognita sponâ, imposita ei penitentia poterit ex dispensatione cum alia contrahere.* Ex quo clarè sequitur, per incestum, etiam solum improprie talem sponsi cum propinqua sponse de futuro in primo gradu (ut sunt mater & filia) induci hoc impedimentum: Nam in hoc casu incestus non fuit proprie talis, ut constat ex n. 1137. deinde sponsa fuit solum de futuro; alias enim si fuisset de præsentibus, fuisset matrimonium ratum, adeoque ex dispensatione Episcopi non poterat cum alia contrahere. 3. qui cum alia contrahere non potest sine dispensatione, ei interdictum est contrahere cum alia; hoc autem interdictum inductum est ex incestu cum sponse de futuro matre, qui est solum improprie talis; ergo. Et ita textum accipiunt Joan. Andr. in *cit. c. 2. n. 4.* Sylv. *V. Luxuria. q. 4.* Barbof. in *cit. c. 2. n. 4.* & communiter alii cum Sanchez *l. 7. hic d. 15. n. 5.* Ad rationem in contrarium, *qz.* concedi talem concubitus non esse proprie incestum ex n. 1137. concedi pariter, hoc impedimentum non nasci ex incestu improprie tali, nisi lex de aliquo specificè loquatur; adeoque nec comprehendendi debere sub impedimento penalis, nisi de eo specificè disponat lex penalis, ut fit in præsentibus.

Quæstio autem est, an hoc impedimentum proveniens ex incestu proprie dicto cum

cum consanguinea sponsæ de futuro, sit perpetuum: sicut de illo diximus, quod nascitur ex incestu cum affine. Probabilis est, non esse perpetuum, sed solum temporale, dum scilicet vivit complex sceleris, quod contra publicam honestatem commissum est; sic Abbas in *c. duo pueri de despons. impub. n. 7. Covar. 4. decret. p. 2. c. 6. n. 4. & alij.* Ratio est quia in *cir. c. duo pueri*, expressè dicitur: quòd si Guilielmus post sponsalia de futuro cum Guilielma, cum hujus consobrina S. contraxit matrimonium, neutri (nimirum nec sponso Guilielmo, nec S.) *vivente altero*, dabitur licentia contrahendi: ergo incurrit impedimentum prohibens cuilibet eorum cum alio, *quàm diu alter, criminis factus, vivit.* hoc autem est ad tempus; non perpetuò, ut dicitur de incestu cum affinibus; ergo.

1146. Ex dictis colliges Episcopum posse dispensare in impedimentis solum impedimentibus, ac non exceptis. colligitur ex *c. 2. h. 1.* ubi Alexander III. rescripsit Episcopo Pictaviensi, quòd cum eo, qui cognovit matrem suæ sponsæ de futuro, peractâ peccentia, poterit dispensare, ut ei liceat cum alia contrahere. 2. dictum impedimentum non incurrit propter incestum, nisi commissus sit cum consanguinea uxoris, vel sponsæ *in gradu prohibito*; hoc est *intra gradum*, ad quem se extendit impedimentum affinitatis, vel justitiæ publicæ; nam extra illum gradum incestus non est, saltem sub lege pœnali. Et ideo incestus cum Consanguinea uxoris ultra quartum gradum; cum consanguinea fornicariæ sponsæ ultra secundum; & cum consanguinea sponsæ de futuro ultra primum gradum, non inducit hoc impedimentum. Nam affinitas legitima ad quartum; illegitima ad secundum; & honestas publica ex sponsalibus de futuro solum ad primum gradum inclusive dirimit matrimonium, ut dictum est in præced. & dicitur in sequentibus spectato jure novo.

1147. Est autem incestus cum proprijs consanguineis sit gravior incestu cum consanguineis uxoris, aut sponsæ propriæ; iste tamen punitur potius hoc impedimento, quia magis præjudicat vinculo conjugali (nam cum consanguinea uxoris impedit usum debiti; cum consanguinea sponsæ, huic præstat injustè impedimentum matrimonij cum

sponso, & solvit priora sponsalia) quod non fit ex incestu cum proprijs; similiter in incestu contra justitiam publicam cum consanguinea sponsæ de futuro mitior pœna est (nimirum impedimentum solum temporale) quam in incestu cum affine (nam in hoc est impedimentum perpetuum) quia hic incestus est propriè talis, & majus delictum; ille autem solum improprie, & delictum minus: punit tamen utrumque, ne delicta maneat impunita.

ARTICULUS IV.

An incestus cum propria Consanguinea incestuosus præstat impedimentum matrimonij?

Titius carnaliter cognovit filiam fratris, 1148. aut sororis suæ, quaeritur, an per hoc incestuosi contraxerint impedimentum, vicujus perpetuò impediatur à matrimonio cum alijs licitè contrahendo, prout dictum est de incestu cum consanguinea uxoris propriæ. Affirmativam sequitur Castropalaus *tract. 28. d. 4. p. 2. §. 2. n. 5.* Basilus Pontius *l. 6. c. 13. n. 10.* probationem hujus opinionis desumunt illi. 1. ex *c. de incestis. 35. q. 3.* ubi dicitur incestuosos, *nullo conjugij nomine deputandos*; inter hos autem nominantur non tantum illi, qui cognoverunt consanguineam sui conjugis; sed, *se quis frater germanam uxorem acceperit.* secundo ex *c. si quis viduam. 32. q. 7.* ubi expressè dicitur, si quis neptem, vel consobrinam, vel avunculi sui filiam polluerit, *eos nunquam in conjugio copulari precipimus.* Ubi gloss. in casu ait: dicitur hic, *quòd si quis adulteratur cum affini, vel consanguinea, perpetua continentia debeat ei indici.* Tertio ex *c. si duo. 35. q. 6.* ubi dicitur: ut, si duo contraxerunt, & fama sit contra eos, quòd consanguinei sint, & hoc probetur, vel testibus, vel propriâ confessione, separentur; & si se sic accommodaverint, ab incesti facinore desinendo, *alia matrimonia contrahere non prohibeantur.*

Negativam autem sequitur P. Sanchez. 1149. *l. 7. d. 15. n. 5.* Covar. *de sponsal. p. 2. c. 6. n. 4.* Barbof. in *cir. c. de incestis n. 2. P. Wiestner de impedim. conjug. p. 1. a. 7. n. 6.* quæ opinio nobis probabilior videtur. Nam impedimenta matrimonij, jure solum positivo inducta ex delicto, pœnalia sunt, & non tantum quatenus continent pœnam, sed

sed etiam quatenus restringunt naturalem hominum libertatem in matrimonijs, odiosa: ergo, nisi casus, de quo agitur, in lege, hoc impedimentum inducente, contineatur (cùm talis dispositio strictæ interpretationis sit) ad ejusmodi casum extendi non debet; sed canones, incestuosos imponentes impedimentum *perpetuò* impediens, non continent casum incestus cum propria consanguinea; ergo. Minor subsumpta constabit ex sequentibus; prima consèq. probatur: quia in casu, quo non habetur existentia, vel extensio legis, morali saltem certitudine, possessio stat pro libertate contra legem, saltem pœnalem.

1150. Ad prob. ex c. de incestis. R. ibi aliud non dici, quàm matrimonium inter incestuosos (ur *si frater germanam sororem accepit*) non esse computandum *conjugij nomine*, quod verum est; sed per hoc non adimitur eis spes matrimonij cum alijs; imò potius *melioris inveniendi conjugij libertas conceditur*; si prius deserant. Ad secundum ex c. *si quis viduam*, eadem responsio est; aliud enim non dicit, quàm quòd præcipiatur, eos, qui *polluerunt neprem, consobrinam, vel avunculi sui filiam, nunquam matrimonio copulari*, quod intelligi potest, *vel inter se, vel cum quovis alio*; at hoc secundum non exprimitur; & primum est conformius alijs canonicis; nec extensionem ad duplex legis odium patitur. ergo venit intelligendum conformius, quòd non possint *inter se*.

1151. Ad tertiam ex c. *si duo*: R. illud: *si se accommodaverint, alia matrimonia contrahere non prohibeantur*; non importare sensum, quòd illis ob incestum non liceat alia matrimonia prius contrahere; sed *nisi prius matrimonium declaratione Episcopi solvatur*, ut patet ex textu: ibi: *si se Episcoporum judicio separaverint*. Nec obstat quòd ibi dicatur: *si juvenes sint*, alia matrimonia, contrahere non prohibeantur: ergo secus dicendum erit, *si juvenes non sint*. Nam R. per hoc non definitur, ut, si juvenes non sint, matrimonium illis interdicitur; sed tantum dari causam, cur illis minimè prohiberi debeat, si juvenes sint; sic Barbof. in c. 2. h. t. n. 3. & alij.

1152. Dices tamen 1. in c. *fn.* 38. q. 8. ubi sermo est de incestuosis, manentibus in incestu, sic concluditur: *& si alter eo-*

rum morte preventus fuerit, alter, quam diu vivit, sine spe conjugij maneat. R. ibi non adimi spem conjugij propter *incestum, sed penitentiam solennem*, & publicam taliter incestuoso, superstiti, totà vità impositam, ut colligitur ex gloss. ibid. V. *Maneat*; pœnitentia autem solennis, quàm diu durat, matrimonio contrahendo præstat impedimentum impediens, ut dicemus infra.

Dices. 2. quando ad matrimonium contrahendum dispensatur cum consanguineis, qui commiserunt inter se incestum, de stylo curiæ additur clausula (*ut altero eorum defuncto, superstes non contrahat aliud matrimonium*) at hoc non fieret, si incestus cum proprijs consanguineis non præstaret hoc impedimentum: Respondet Palacius in 4. d. 34. d. 2. col. 6. eos in dato casu, eà prohibitione non gravari ex eo: quòd *stylus curiæ* agnoscat hoc onus natum esse ex incestu, sed ex Pontificis præcepto, propter criminis enormitatem hoc statuens.

ARTICULUS V.

An hoc impedimentum inducat quilibet incestus?

Quæstio procedit de incestu cum consanguinea uxoris, vel sponse propriæ; quo posito, R. 1. hoc impedimentum non incurri ex ullo incestu *improprie tali*, nisi commisso contra justitiam publicam. Cùm enim sit impedimentum pœnale, extendi non debet ad alium incestum, quàm *proprie talem*, nisi etiam improprie talis in lege exprimat; at de nullo improprie tali hoc habetur, nisi qui est contra justitiam publicam ex n. 1144. ergo.

R. 2. hoc impedimentum incurri ab incestuosis, licet neuter eorum sit conjugatus; constat 1. ex n. 1143. deinde ex n. 1144. ubi diximus hoc impedimentum incurri à sponso, & consanguinea sponse de futuro, si hæc ab illo carnaliter cognoscatur incestu etiam solum improprie tali, nimirum contra justitiam publicæ honestatis, prout etiam sustinetur à P. Sanchez *cit. n. 7.*

R. 3. hoc impedimentum incurri, esto incestus cum consanguinea uxoris, vel contra contingat extra matrimonium, nimirum

nimirum eo soluto per mortem alterius conjugis; constat ex n. 1140. Nam ad hoc impedimentum nihil refert, an incestus sit *cum* vel *sine* adulterio; ut rectè notat Sanchez cit. n. 12. contra Sotum, Cordubam, Henriquez, & alios ibid. cit. quod procedit, etiam si incestus sit occultus. Nam nullo jure probatur, illud alligari delicto solum publico, notorio, vel manifestato; sic Gutierrez *quæst. Canonic. l. 1. c. 23. n. 8.*

1157. Re. 4. à consanguinea uxoris, per hujus virtum vi oppressa, non incurri hoc impedimentum; quia cum sit pœna, requirit in ea culpam, à qua immunis est violentè cognita, ut deciditur in *c. discretione 6. h. t.* ubi Barbof. n. 4. resolvit, ab ea tunc nec incurri pœnam, quâ infertur privatio juris exigendi debitum. Casus in *c. discretione* propositus erat iste: quidam cum muliere quâdam legitime per verba de presenti contraxit, quam postmodum à se incognitam cuidam consanguineo suo tradidit, in quantum potuit renitentem. Ille verò, cum ipsa, licet invita, matrimonij solemnità celebravit: sed mulier quàm citò fuit reddita libertati, aufugit ab eo, & se priori viro restitui postulavit. Cùm autem Præpositus Magdeburgensis ab Innocentio III. quæreret, quid in hoc casu agendū? Respondit Pontifex: quòd & viro pro tam turpi facinore gravis est pœnitentia injungenda, & mulier propter publicam honestatem est monenda sollicitè, ut nec primum repetat: cujus consanguineus cum licet invitam cognovit: nec redeat ad secundum, cui non potest propter reatum adulterij commiseri; sed in continentia maneat, donec prior fuerit viam univertæ carnis ingressus. Quod, si forsitan ad id induci nequiverit, vir prior cogatur redire ad ipsam, & maritali eam affectione tractare: *cum adulterium ei non possit obviare, qui eam adulterandam tradidit, præsertim invitam.* Nam si secundum Evangelicam veritatem nunquam, nisi propter fornicationis causam, aut vir uxorem, aut uxor possit dimittere virum; nec tamen semper propter causam eandem, vel uxor virum, vel vir dimittere potest uxorem, cum possit exceptione vel replicatione legitima impediri. Sed nec affinitas, quæ post contractum legitime matrimonij inter virum & uxorem iniquè

contrahitur, ei debet officere, quæ hujusmodi iniquitatis particeps non existit; *cum suo jure non debeat sine culpa privari:* quanquam à quodam prædecessore nostro dicatur in simili casu fuisse distinctum, utrum incestus, vel adulterium manifestum fuerit, an occultum: alijs assentibus inter gradum proximum & remotum esse potius distinguendum. Reliqua, quæ deduci possunt ex allato textu, dicemus infra.

Quæres, an pœnæ juris civilis locum habeant adversus contrahentes ignoranter incestas nuptias? R. negativè, quia tales non possunt dici *scienter* contraxisse in gradu prohibito, cum ignorantis nullus sit consensus. *L. qui contra, & auth. C. de incest. nupt.* quando autem lex puniit *scienter quid facientem*, requiri dolum, & malam fidem; habetur *L. sed est. §. scire. ff. de heredit. petit.* ita Juris consultus Christophorus Schambogen in *Cent. quæst. juris. q. 7.* Et ideo in *c. Inebriaverunt. 15. q. 1.* Loth non dicitur puniendus, in quantum meretur incestus, sed ebrietas.

ARTICULUS VI.

An in Supplicatione, vel dispensatione debeat fieri mentio incestus?

Supponendum. 1. quæstionem procedere, quando ad id, quod petitur, obtinendum allegatur *alia causa*, quàm ipse incestus, vel periculum infamiae inde nascentis, si enim pro causa, dispensationem impetrandi, non allegaretur nisi incestus, & nascentia inde pericula, vel damna, res est extra quæstionem; cum sine causa non detur dispensatio ad supplicationem. Supponendum. 2. hodie non dari dispensationes cum, sed sine clausula (*dummodo copula non intercesserit*) ut docet Pyrrhus Corradus in *praxi dispensat. Apostol. l. 8. c. 22. 20.* hinc delegati ad expediendâ ejusmodi dispensationem sine tali clausula, non possunt licitè oratores, seu dispensandos examinare super habita, vel non habita copula; quia sic excederent fines mandati, & commissionis sibi factæ.

Supponendum. 3. totam difficultatem in eo stare, an quando consanguinei, vel affines, antequam supplicarent pro dispensatione impedimenti ex consanguinitate, vel affinitate inter eos existentis,

tis, commiserunt incestum simpliciter, nimirum ex humana fragilitate, non autem animo, & spe, hoc ipso titulo, & via, sibi facilitandi, seu facilius obtinendi dispensationem, debeant in supplicatione facere mentionem hujus incestus, secus non valiturâ dispensatione, quantumvis tacito incestu subsecutâ.

§. I.

Proponitur Sententia affirmans.

1161. Diverſæ sunt in hac quaestione opiniones Authorum, ut videre licet apud P. Sanchez l. 8. hic d. 25. & magna omnino pars affirmantium, ad valorem dispensationis esse necessariam incestus mentionem. Inter hos sunt Sanchez cit. Laym. l. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 22. Pyrrhus Corradus cit. l. 8. c. 1. à n. 3. Reginaldus, Cochinch, & alij apud Vincent. de Justis. cit. l. 1. c. 4. à n. 271. quorum tamen aliqui non eodem modo prærequirunt, ut videri potest apud Sanchez loco cit.
1162. Potissima fundamenta sententiæ affirmantis sunt sequentia. 1. ex P. Sanchez cit. n. 8. quia stylus Curie obtinuit, ut hic incestus explicetur, sive contigerit ante Pontificis dispensationem, sive post, antequam illam ordinarius expediat; at ea, quæ stylus Curie observat, sunt necessaria in dispensatione explicanda; quia stylus curie facit jus, c. quam gravi. de Crimine falsi; nec ab eo recedi debet, ut multis probat Mascardus de Probat. conclus. 317. n. 51.
1163. Secundò, taciturnitas veri, quo expresso Pontifex non solet concedere dispensationem eo modo, quo concessit, sed cum quibusdam moderationibus, reddit eam subreptitiam, & nullam; at hoc fit manifestato incestu: tunc enim dispensationem aliter concedit, nimirum præscriptâ certâ poenitentia, impositione pecuniaria, cum clausulâ, ut superstes eo matrimonio soluto, non transeat ad aliud; & sine his, incestu tacito. ergo.
1164. Tertio, qui committunt incestum in gradu prohibito eo animo, ut inde facilius fiat dispensatio, tenentur utrumque exponere ad valorem dispensationis pro matrimonio inter eos contrahendo; nam Tridentinum specialiter nunc punit eos, qui spe facilius obtinendi dispensationem, scienter in gradu prohibito contrahunt, &

consummant matrimonium: ergo, qui non eâ spe, sed fragilitate lapsi sunt per incestum, tenebuntur hanc exponere; quod maximè procedit, licet contraxerint in gradu prohibito cum ignorantia impedimenti, si culpabiliter neglexerunt denuntiationes.

Quarto, incestus præstat perpetuum impedimentum matrimonio; ergo non possunt contrahere licitè, nisi cum dispensatione obtenta super hoc impedimento: at sic manifestum est, incestum esse manifestandum; cum exinde sit impedimentum; ergo. Major autem constat ex dictis supra.

§. II.

Eligitur sententia negans.

Ante conclusionem supponendum, hanc quaestionem pendere ab illa, quando vitietur gratia, vel dispensatio ex subreptione? hoc est, tacitâ veritate aliquæ qualitatâ, vel circumstantiæ? in hæc tamen re sunt diverſæ opiniones. Nam aliqui dicunt, gratiam semper vitari tacitâ qualitate, quâ cognitâ concedens, vel non annuisset petitioni, vel saltem difficilius; alij docent, solum vitari gratiam tacitâ veritate, seu qualitate, quâ cognitâ dispensans precibus oratorum non annuisset. Ex quo videtur primum, & secundam sententiam in hoc differre, quòd illa velit, gratiam, seu dispensationem vitari tacitâ causâ finali; vel impulsivâ; hæc autem, solum tacitâ causâ finali. Finales autem dicunt, quâ non existente Princeps non concederet gratiam; impulsivam, quâ non existente Princeps adhuc concederet, sed non ita faciliè. Sic Abbas Decius, Jafon, & alij, apud Sanchez cit. l. 8. hic d. 21. n. 8. in fine addentem, etiam dici finalem, sine qua non concederet eo pacto, quo concessâ est: quidam autem volunt, vitari gratiam tacitâ qualitate, de jure exprimendâ, sive eâ cognitâ Princeps adhuc concessisset, sive non; idem volunt, quando exprimenda erat de stylo Curie; si autem talis sit, de qua non constat, eam de jure, vel stylo Curie exprimendam esse, non vitari gratiam, ex ejus taciturnitate, nisi sit causâ finali; ita Sanchez cit. l. 8. d. 21. à n. 13. quibus positus:

Sententia

117. Sententia negans, quam ut probabilior rem sequor, docet, ad valorem dispensationis, super impedimento dirimente, quando pro illa impetranda Pontifici allegatur alia causa, non requiri expressio nem copule habitae à supplicantibus, ex humana solum fragilitate. Hanc tenet Basilius Pontius l. 8. hic d. 17. §. 6. Diana p. 1. tr. 10. resol. 44 p. 4. tract. Miscell. resol. 135. p. 8. tr. 3. resol. 81. Salas de legibus. d. 20. §. 15. n. 114. & plurimi alij, quos citat de iustis. l. 1. c. 4. n. 279. & n. 280. & sequitur, dicens, eam sibi esse veram, & in praxi tantam, ipso etiam P. Sanch. c. d. 25. à n. 6. censente probabilem, & dicente eandem tenuisse gravissimos viros, de hoc consultos. Probatur: Nam illa sola taciturnitas, juxta probabiliorum Doctorum sententiam, vitiat gratiam de qua jure cautum est, ut exprimat, vel quod illis omisissis Papa non concederet; sed nullibi reperitur in jure cautum, quod copula inter consanguineos, vel affines, ex humana fragilitate habita, exprimi debeat; ergo. Ma. tenent propè innumerati Doctores apud de Justis cit. c. 4. à n. 5. Cum enim gratia concessa valor pendeat à voluntate concedentis, ea habita habetur valor; & deficiet, ea deficiente: quando autem nihil omittitur, de quo jure cautum est, ut exprimat, vel quod eo omisso Papa non concederet, habetur voluntas concedentis; quia voluntas Principis talis esse praesumitur, nisi aliud exprimat, qualis est intentio juris. L. ex facto. ff. de vulgar; ergo ubi non est intentio juris, ut talis qualitas exprimat ad gratiam validè obtinendam; non deest voluntas Principis; ergo concessio facta, ex defectu talis qualitatibus non aperta, non deficit, sed valida est.

118. Confirmatur 1. quia cum nullitas gratiae, seu dispensationis, ex taciturnitate veni, sit poena, ut tenet Sanchez cit. n. 12. non est ex tali defectu imponenda, nisi jus eam imponat; Reg. in panis 49. de Reg. jur. in 6. & docet gloss. c. fin. de jure Patron. habeturque in c. 15. qui in Ecclesia. 18. de sent. ex comm. in 6. maxime, cum non expressum, sit nolum, per L. 1. §. fin. autem. C. de Caduc. tollend. saltem, cum facile poterit exprimi; secundo, quia, cum simus in materia penali, & odiosa, omisissum in tali dispositione haberi debet pro omisso. Nam quando Papa aliud non expli-

Tm. 17.

cat, ad omisissum constitutio se non extendit. argum. c. non est vobis. 11. de sponsal. at in constitutionibus, pro dispensatione gradus prohibiti, nullibi exprimitur obligatio exponendi copulam incestuosam, ab illis prohibitam; ergo haberi debet pro omisissa, & jure non exigita; quod tamen fieri debuisset, si esset jure debita; cum eo ipso esset speciali nota digna. Min. etiam probatur: quia tunc dicendum est, quod jura velint aliquam qualitatem exprimi, quando id, vel verbis expressis, & specificè jubent; vel prohibent, ne aliquid delictum remittatur, aut aliquo casu dispensetur, ut tenet ipse Sanchez cit. l. 8. d. 21. n. 15. sed de hoc casu id jura non dicunt; & 1. non jus naturale divinum, cum hujus nullum sit vestigium; 2. non jus positivum divinum. Nam c. 18. in Levitico, solum prohibetur matrimonium cum affinibus, & consanguineis: non jus commune canonicum; nam in hoc nihil reperitur, nisi quod incestuosus interdicitur matrimonium c. 4. & 8. h. t. denique nec jus Concilij Trident. vel fundatum in Regulis Cancellaria: illud enim sess. 24. c. 5. ubi agit de hac materia, solum puniunt, scienter contrahentes in gradu prohibito, culpabiliter omisissis denuntiationibus; & illae regulae (etiam reg. 49. statuunt plures poenas contra Raptos) nihil tamen habent de hac copula incestuosa exprimenda: ergo.

§. III.

Respondetur ad fundamenta contraria.

Cum sententia contraria potissimum fundetur in stylo Curiae, & quibusdam declarationibus sacrae Congregationis; not. 1. per stylum in genere, significari modum, & morem scribendi, usum loquendi in judiciis, aut modum servari solitum in judicijs; hinc dici potest practica alicujus curiae; non habet vim legis, nisi usu frequenti inducta sit consuetudo, quae instar legis post legitimam praescriptionem obliget, vel certè autoritate Principis exercetur eo fine, ut pro lege, vel consuetudine sit. Ex quo facile colligitur, quid significetur per stylum curiae Romanae. Hic porro stylus, quoad judicia in causis beneficialibus cum primis fundatur in Regulis Cancellariae, quae sunt

Q9

qua-

quodam quasi generales leges, de beneficiis disponentes, ad quarum in ea Curia valorem nulli alii solenni publicatione egent, quam quod sint publicè constituta; ita, ut à puncto constitutionis earum effectum habeant, quoad nullitatem provisionis in contrarium, esto non habeant effectum quoad pœnas ibidem positas; sic Castropal. p. 2. tr. 13. de beneficiis. d. 2. p. 17. n. 1. & quia hæc regulæ mortuo Pontifice extinguuntur; & à successore quandoque mutantur, addendo, demendo, stylus in illis fundatus, fragilis, & incertus est, ut ait Corradus in *praxi dispens. Apost. l. 7. c. 5. n. 10.* quod secus esse dicit, de stylo Cancellariæ, qui servatur circa literarum expeditionem, & modum scribendi, qui inconcusse servatur.

1170. Not. 2. stylum curiæ esse quid facti; adeoque talem stylum esse, indigere probatione (nam factum non præsumitur, sed probari debet) nec, licet probatus esset, inducere necessitatem idem servandi in alijs tribunalibus extra Curiam; cum, ut dictum est, sit incertus, & maximè variabilis ad mutationem Papæ, ac Auditorum, nisi sit scriptus, probatus, notorius, speciali decisione, vel declaratione Pontificis confirmatus, ut docet Cavallos, Gratianus, Ferretus, Boërius, Hostiensis, & alij apud de Justis *cit. l. 1. c. 4.* his præmissis.

1171. Ad primum fundamentum in n. 1162. R. concedendo, pro lege observanda esse, quæ stabilis, & inconcusus, seu invariatus stylus Curie publicè decisione, vel declaratione Papæ confirmatus, servanda exigat; non autem varius, & incertus; sed nego, quod mentionem incestuosæ copulæ pro dispensatione super impedimento dirimenti exigat talis stylus curiæ; hic enim tantum ille est, de quo numero priori dictum est: at talis stylus circa obligationem mentionis copulæ incestuosæ non solum non fuit hætenus confirmatus speciali confirmatione Papæ, quæ publicè, ac authenticè constet; sed quæ nec constare possit; cum in casu, quo aliqui in supplicatione, de consilio Doctorum contrariæ sententiæ incestum exprimunt, multiplice de causâ id facere possint, vel quia citra hoc non habent alias sufficientes causas, vel cum pauperes sint, in ordinaria forma impetrare non valent &c. hæc autem non faciunt legem.

1172. Ad 2. in n. 1103. R. cum dist. Ma. ta-

citurnitas veri (quod est de jure, vel invariato stylo Curie exprimentum) reddidit libere gratiam, quam Pontifex eo cognito, non eo modo concessisset, quo concedit. C. Ma. si nec de jure, nec de invariato stylo Curie erat exprimentum, N. Ma. incestus autem non est tale verum, ut diximus, & testantur plures, qui longo tempore fuerunt, & scripserunt Romæ, præsertim Navarrus in *summa c. 22. n. 75.* duntaxat verfatius Romæ, ibidem centesimo ætatis anno expleto, dicens: se nunquam vidisse, vel audivisse, incestuosos petere dispensationem ad contrahendum; quod tamen scire debuisset, cum fuerit unus ex consultoribus Penitent. Apostol. teste Corrado l. 7. c. 4. n. 72.

Ad 3. in n. 1164. R. C. ant. nam super hoc est declaratio, quod taliter Rei carere hoc ipso debeant spe dispensationis, ut dicitur in Trid. sess. 24. de reform. c. 5. ergo juxta n. 1168. jure cautum est, ut exprimitur matrimonium in gradu prohibito scilicet contractum omittit culpabiliter denuntiationibus, & consummatum spe melioris dispensationis, quia prohibetur, ne cum talibus dispensetur; sic de Justis *cit. l. 1. c. 4. n. 228.* Sanchez l. 8. d. 2. n. 12. & colligitur ex c. dilectus 26. de Rescript. at nulla talis declaratio est pro consequenti, seu casu nostro; ergo.

Ad 4. in n. 1165. R. I. ex n. 1149. negando, incestum inter consanguineos præhabitu, præstare incestuosos impedimentum impediens matrimonium cum alijs R. 2. hoc impedimentum, esto adhuc staret, non egere dispensatione Papali; ex n. cit. consequenter, hoc titulo, incestus mentione. Deinde hoc impedimentum jam dudum recessit ab usu, ut testatur Sanchez l. 7. hic d. 17. n. 8. cum alijs. Hinc generali jam consuetudine fit, nullam esse culpam, matrimonium contrahere, cum impedimento solum impediens, præter votum c. sponsalia, vel interdictum Ecclesiæ, ut notat Sanchez. n. 9. & ideo ob nullum incestum petitur dispensatio à Papa, vel Episcopo, teste Navarro *cit. c. 22. n. 75.* & alijs.

Dices: saltem eo casu vitabitur gratia ex taciturnitate veri, quando est causa finalis seu quo cognito Papa non dispensasset; patet illatum; quia gratia Principis non valet sine voluntate Principis; sed deficiente causâ finali, deficit voluntas Principis, ergo & gratia. Resp. cum distin-

distinctione: si erat exprimendum de jure, vel stylo, seu consuetudine, auctoritate Principis C. secus, N. illatum. ad probat. & ad valorem gratiæ sufficere, quod adsit *legalis* voluntas Principis, hoc est, consensus in gratiam, ubi nihil omittitur eorum, quæ jure, vel usu debito exponi debent ad gratiæ impetrationem; & hæc non deficit, deficiente causâ finali, de cujus expressione jure vel usu debito non est cautum;

ergo. Unde colliges, alium esse stylum, seu usum, & consuetudinem Cancellariæ Apostolicæ, in scribendo quoad formas, & modum; alium Curia, *in judicando*; illum esse stabilem ac certum; istum vari-um, & incertum ex n. 1170. nec in alijs tribunalibus habendum pro jure, seu lege, nisi in his, in quibus inconcussus, seu invariatus est, atque firmatus, decisione, vel declaratione Papæ, ex n. cit.

QUÆSTIO XIV.

In Tit. XIV. de Consanguinitate & Affinitate.

§. I.

De Arbore Consanguinitatis.

Arbor Consanguinitatis nihil aliud est, 1178
quàm series, seu ordo personarum ex eodem sanguine descendendum, distinctus per lineas, & gradus, statuto prius stipite, seu radice, vel origine proximâ hujus conjunctionis. Per *lineam* autem intelligitur collectio personarum ab eodem stipite descendendum, gradus habens, & cognationem, seu propinquitatem earum distinguens: *stipes* autem dicitur ea persona, à quâ *proximè* descendunt illæ personæ, de quarum consanguinitate quaeritur; vel quæ est origo proxima, & principium, quod aliqui duo sint ejusdem sanguinis.

Supponendum autem 1. hanc arborem constare tribus lineis, seu triplici ordine, quo collocantur personæ sanguine junctæ. Ex his *prima* est *ascendentium*, in qua continentur personæ, à quibus nos originem duximus, ut pater, avus, proavus, & reliquæ personæ ascendentes; altera *descendentium*, in qua continentur personæ, quæ à nobis originem duxerunt, ut filij, filia, nepotes, neptes, pronepotes, proneptes, aliæque personæ descendentes in infinitum. Utraque simul vocatur *linea recta*: tertia demum est *obliqua* seu *transversalis & collateralis*, complectiturque personas, quæ nobis ex latere junctæ sunt, atque adeo eas, à quibus nos non duximus originem, nec illæ à nobis, & tamen ab una stirpe, unòque sanguine nobiscum propagatæ sunt; ut filij fratrum, sororum, patruus, amita, &c.

Supponendum 2. quod *linea collateralium* alia sit *æqualis*, continens personas, de quarum cognatione quaeritur, in æqua- 1180
li gra-

Q9 2

li gra-

1176. Hoc titulo proponitur duplex impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, vel eo sancte contractum; primum est inter consanguineos; alterum inter affines. Consanguinitas, in verbis, quibus continentur impedimenta dirimentia, venit sub verbo *cognatio*, quæ vox ut dictum est n. 1087. supponit pro triplici cognatione spiritali, legali, & carnali, seu consanguinitate.

ARTICULUS I.

De Impedimento ex Consanguinitate.

1177. Antequam ad particulares quæstiones descendamus, supponendum, cognationem carnalem, seu *consanguinitatem*, esse vinculum, seu propinquitatem, & conjunctionem personarum ab eodem stipite proximo descendendum, carnali propagatione contractum; vel dic, esse *vinculum personarum, quæ propterea, quod ab eodem stipite oriuntur, sanguinis, & naturæ societate, junctæ sunt, ac propterea consanguinei dicuntur, quasi de uno, & communi sanguine nati, & propagati.* Ex hoc vides, etiam *illegitimos & spurios* venire appellatione *consanguineorum*; quia spectato jure naturali, etiam illi à communi ipsis, & legitimis, sanguine descendunt. Et ideo quoad matrimonij impedimentum, ac dispensationem super eo impetrandam, nullum discrimen est; sic Pyrrhus Corradus in *praxi dispens.* Apost. l. 7. c. 1. n. 6. quoniam autem hæc cognatio matrimonium inter consanguineos dirimit in *certis solum gradibus*, præmittimus brevem notitiam de arbore consanguinitatis, & terminis ad eam pertinentibus.

Tom. IV.